



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De eadem re. ccxix.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

re omnino prohibemus, nisi illis tantūmodo, qui propter diuinum ministerium, Missarū scilicet solennia adimplēda, & sanctorū patrocina portanda ad hoc electis, id est, vnū vel duos episcopos cū capellanis presbyteris. Et vnusquisq; princeps vnū presbyterū secum habeat, qui peccata confitentibus iudicare, & indicare pœnitentiam possit.

De eadem re.

Cap. CCXIX.

Secunda vice propter ampliorem obseruantiam apostolica *Cap. eiusdem.*
Solica autoritate, & multorum episcoporū admonitione instructi, sanctorum quoque canonum regulis edocti, consultu videlicet omnium nobilium nostrorum nosmetipsos corrigentes, posterisque nostris exemplum dantes, volumus vt nullus sacerdos in hostem pergat, nisi duo vel tres tantū episcopi, electione cæterorum propter benedictionem, prædicationem, populiq; reconciliationem, & cum illis electi sacerdotes, qui bene sciant populis pœnitentiam dare, Missas celebrare, de infirmis curam habere, sacratique olei cum sacris precibus vnctionē impendere, & hoc maximè præuidere, ne sine viatico quis de seculo recedat.

De eo si quis ab apostolico falsam detulerit epistolam.

Cap. CCXX.

In memoriam beati Petri apostoli honoremus sanctam *Ex cõcil. Triburicē si, ca. 30. cui interfuit rex Arnolphus.*
 Romanam & apostolicam sedem vt quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debet magistra ecclesiasticæ rationis. Quare seruanda est cum mansuetudine humilitas, vt licet vix ferendum ab illa sancta sede imponatur iugum conferamus, & pia deuotione toleremus. Si verò, quod non decet, quilibet siue sit presbyter, siue diaconus aliquam perturbationem machinando, & nostro ministerio insidiando redarguatur falsam ab apostolico detulisse epistolam, vel aliud quid quod inde non conuenerit, falsa fide, & nō integra circa apostolicum humilitate: penes episcopū sit potestas, vtrū eum in carcerem, aut in aliam detrudat custodiam, vsquequo per epistolam, aut per idoneos suæ partis legatos apostolicam interpellet sublimitatem, vt potissimum sua sancta legatione dignetur decernere, quid de talibus iusto ordine lex Romana statuatur, definire, vt & is corrigatur, & cæteris modus imponatur.

F ii